

ponamus id, quod interest creditoris, esse viginti, & sortem principalem centum, cum Titius vellet agere arbitraria actione adversus Mævium reum principalem, qui jam moram fecerat: acceptus est fidejussor hujus actionis nomine, qui, cum promiserit, quod debetur ex eâ actione & acceptus dicatur actionis nomine, quæritur, an fidejussor non tantum tenetur ad sortem principalem, sed etiam ad id, quod interest, puta ad viginti? Quod à Paulo *in l. ult. vers. videamus*, ne ea pecunia, rectè negatur, quia fidejussor ad obligationem & actionis nomine est acceptus, interesse verò propriè loquendo, cum nulla intercesserit conventio, non est in obligatione. *l. 49. §. 1. d. act. empt. l. 54. pr. loc. l. 4. C. depos. W. esemb. in π. d. u. sur n 13. inf. Gabriel Gatian. in tr. de eo q̄ interest c. 12.* Idq; adeò verū est, ut solutâ sorte judicis officium ad interesse cœlet; & si id quod interest, in obligatione cōprehenderetur, etiam quādo in loco solutioni destinato ageretur, arbitrium judicis locum haberet, quod sane non admittit *l. 4. pr. b. t.* Neque tempore fidejussionis id, quod interest, principalis debebat, quia illud is, actione per dationem fidejussoris impeditâ, vitabat. Nam non solum *cessatio* sed *actio* quoque in alio loco *instituta*, ut, quod intersit actoris debeatur, simul necessaria sunt, quod volunt verba *in d. l. ult. posita: cùm arbitrariâ vellet agere.* Errat igitur *Accursius*, qui in *d. l. ult. nudam quæstionem*, nullam ejus decisionem reperiri putat, quia verba: *videamus, ne ea pecunia &c.* illam innuunt, ex qua postmodum duæ cōclusiones seu potius effectus sequuntur *in his verbis: adeò ut nunc quoq; sorte solutâ seu si Capua petatur, arbitrium judicis ces. set. Jaf. ad d. l fin. n. 1. p. mihi 193. Hackell. illust. & select. quæst. disp. 10. th. 18. cum multis ibi allegatis.* Neque quem offendat verbū videre, quia J. Cti verbis, videre, arbitrari, magis verum esse, & similibus decidere, & suam sententiam in dubiis casibus modestè & verecundè exprimere solent *Duar. Annivers. disp. lib. 2. cap. 11. v. l. 4. §. Cato d. V. O. l. 17. §. 3. d. adopt.* & eorum dubiis responsis hodiè à Justin. authoritas legum attributa est *§. 8. J. d. J. N. G. & C. Const. d. concep. digest.*

28. Ut verò de quæstione nobili, an solutâ sorte integrâ, creditori salva ejus, quod interest, petitio remaneat? cu-

C                    jus